

## Urkundenbuch der Abtei Sanct Gallen (Ed. Wartmann) Nr. 694

† In nomine sanctae et individuae trinitatis Arnolfus divina favente clementia rex. Quaecumque aetiam iuste et rationabiliter ad sancta loca peracta fuerint conchambia, si ea nostro praecepto confirmare satagimus, Dei omnipotentis clementiam ob hoc super nos largius coruscare confidimus. Quapropter omnium fidelium nostrorum, praesentium scilicet et futurorum cognoscat sollertia, qualiter quidam venerabilis episcopus et dilectus fidelis noster Salomon nostram deprecatus est clementiam, ut cum nostra licentia quoddam conchambium perageret. Nos vero benigno animo utrarumque partium commoditatem perpendentes concessimus ita fieri. Tradidit itaque memoratus Salomon cum consensu totius familiae de rebus sancti Galli per manus sui advocati nomine Wichere cuidam viro nomine Anno tales causas, sicut habere visus est in pago Rammekeuve in comitatu Arnulfi in loco et in villa nominata Sconenpirch, cum omnibus appenditiis suis in ius perpetuae proprietatis; econtra vero in reconpensationem praefatus Anno tradidit iam dicto praesuli Salomoni suoque advocato in manus proprias id est tales causas, sicut nos ei per nostrum praeceptum in proprium concessimus, hoc est in pago Aragouve in comitatu Chadaloh in villa Augusta aecclesiam I et hobas VII cum aedificiis et curtilibus mancipiisque omnibus utriusque sexus, terris, agris, campis, cultis vel incultis, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumque decursibus, viis et inviis, exitibus et regressibus et cum omnibus iure legitimeque ad illam aecclesiam et ad ipsas VII hobas pertinentibus. Nosque iussimus ei inde hoc nostrae auctoritatis praeceptum conscribi, per quod volumus atque iubemus, ut quod pars parti contulit, hoc firmum et inconvulsum perpetuis consistat temporibus. Et ut hoc verius credatur et per futura tempora a cunctis fidelibus nostris diligentius conservetur, manu propria nostra subter hoc confirmavimus et sigillo nostro assignari iussimus. Signum domni Arnolphi M invictissimi regis. Wihhingus archicancellarius ad vicem Theotmari archicappellani recognovi et subscripsi. Data VII kal. sep., anno incarnationis Domini DCCCXCIII, indictione XII, anno VII regni Arnolphi largissimi regis. Actum Reganespurc in Dei nomine feliciter. Amen.